



Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCVII. De Vastatione territorii Sudowiae dicti Seliae & secunda
captivitate fratris Ludevici.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Hartmannus C. de Heldrungen VIII. Mag. Gen. Ord. Teut.
Mangoldus de Sternberg XI. Mag. Prov. in Prussia.*

Iste Scumandus potens fuit & dives in territorio Sudoviae dicto Crasima, & cum impugnations continuas fratrum non posset sustinere, cessit de terra sua cum tota familia & amicis ad terram Russiae, in qua dum per tempus aliquod habitasset, fatigatus exilio rediit ad terram nativitatis suae, quod cum perciperent fratres ipsum in bello iterum invaserunt, tot vicibus illum vexantes, quod tandem cum omni domo & familia sua fidei & fratribus se subjecit.

C A P. C C V I I .

De

*Vastatione territorii Sudoviæ dicti Se-
lie & secunda captivitate fratri Lu-
devvici.*

EO tempore quo frater Mangoldus Magister vocatus ad capitulo eslet in itinere constitutus, Fr. Conradus de Tierbergk Marschalcus cum multis fratribus & maximo Exercitu intravit Sudoviæ territorium dictum Silian, tam copiosus fuit iste Exercitus, quod multarum spaciis Leucarum occupavit, ubi omnia ædificia dicti territorii redegerunt in favillam, occidentes quendam nobilem dictum Wadole Capitaneum ibidem & plures alios prædam inæstimabilem deduxerunt. In hoc Exercitu frater Ludevvcus de Libentele multis vulneribus lethaliter vulneratus, semivivus in nive fuit derelictus quem Sudovitæ postea invenientes super eqvum positum, sic quod caput & brachia ex una parte, & crura ex altera dependebant tam ineptè deduxerunt, quod sangvis de vulneribus manans jam in corpore coagulatus coactus est violenter effundi, & sic sanatus fuit ut veraci-

Hartmannus C. de Heldrungen VIII. Mag. Gener. Ord. Teut.

Mangoldus de Sternberg XI. Mag. Prov. in Prussia.

raciter æstimabant. Hic Fr. Ludevvcus iterum captus præsentatus fuit cuidam nobili dicto Cantengerde & ejus custodiæ deputatus.

CAP. CCVIII.

De

Desolatione Castri Poterbergk & ædificatione castri Gimevve.

Vantepolcus quondam Dux Pomeraniæ, de quo superius est præmissum, quatuor habuit filios (*a*) Mestovvinum primogenitum, quem ut dictum est dedit in obsidem, Samborium, Wartislaum & (*b*) quendam alium (*c*) Iste Warceslaus factus fuit frater Ordinis Domîs Teutonicæ, & partem Ducatus, quæ ipsum contingebat, dedit fratribus Domus Teutonicæ in Pruschia in Eleemosinam. Samborius videns quod de parte sua non posset honestè secundum status sui dignitatem vivere, tradidit eam prædictis fratribus, ut ipsi & familiae suæ in necessariis providerent: Idem fecit quartus frater, & ut hæc donatio firma esset, & in perpetuum valitura, hi tres renunciaverunt omni actioni juris vel facti quæ ipsis vel eorum successoribus in dicto ducatu competebat, dantes super hoc literas suas fratribus sanguinorum suorum munimine roboratas. Mestovvinus autem audiens hæc, violenter has tres partes ducatus Pomeraniæ occupavit & invitis fratribus detinuit multis annis. Tandem venit Dominus Philippus Episcopus Firmanus legatus à sede Apostolicâ missus ad terram Poloniæ coram quo frater Conradus de Tierberg Magister conquestus fuit de violentia, quam dictus Mestovvinus fecit fratribus de Pruschia, in his tribus partibus Ducatus prædicti, & ad probandum, se & fratres habere meram

